

1318-1318- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Lugdunum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
Hec sunt acta capituli generalis apud Lugdunum celebrati
Anno Domini · M^o · CCC^o · XVIII^o ·

Iste sunt confirmationes.

Confirmamus hanc: In capitulo De itinerantibus post illud, ubi dicitur: quod per magistrum ordinis vel provincialem suum ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus, conventualibus ac eorum vicariis, quod nulli fratri electo seu postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, personatum, gradum infra dignitatem episcopalem, licenciam concedant huiusmodi electiones seu postulaciones acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi. Eodem precepto prohibentes, ne frater aliquis propter licenciam sibi datam contra prohibitionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerit, incurrat excommunicationis sentenciam ipso facto, quam sentenciam ferimus presenti statuto; et nichilominus omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum vel capitulum generale. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Cum propter distanciam provincie Terre sancte et difficultatem ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia sepe longo lempore careat priore provinciali non sine dampno et dispendio provincie memorate, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur, quod si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provincialem Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum contigerit non confirmari, seu confirmatum mori vel absolvi, antequam ad suam provinciam pervenerit, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertinet, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Item. Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arcus imprimatur, inchoamus hanc, ut in matutinis et vespers post memoriam de beato Dominico patre nostro fiat memoria de eodem; de antiphonis autem et versiculis magister ordinis usque ad sequens capitulum studeat providere. Medio autem tempore fiat memoria de eodem, modo quo infra octavas eiusdem fieri consuevit.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Volumus et ordinamus, quod cum sanctissimus pater et dominus summus pontifex ad presens capitulum literas direxerit graciosas¹, nos ad multa salutaria et ordini necessaria dulciter exhortando, predictae litere eiusdem domini in singulis conventibus simul cum istis ordinacionibus legantur publice fratribus, ut est moris, et contenta in eisdem literis diligenter observentur a fratribus universis, specialiter de reverencia ad prelatos et cavenda eorum offensa.

Item. Cum per novellas constituciones editas in concilio Viennensi ac eciam post et ante per bone memorie dominum papam Clementem multe pene graves contra religiosos in certis casibus delinquentes posite sint et inflite, monemus universos ordinis nostri fratres et eis districtius imponimus, ut easdem constituciones, quantum ad ipsos pertinet, diligenter observent et caveant, ne in penas incidant memoratas. Quod si aliqui fratres in predictis inventi fuerint transgressores, taliter a suis prelatibus puniantur, quod sint ceteris in exemplum, quia ex hoc speramus, nos per dominum summum pontificem in eisdem cicius relevari.

Item. Cum ex eo quod priores et eorum loca tenentes ac fratres ceteri a sequela communitatis se retrahunt, multi conventus in diversis provinciis tam in spiritualibus quam eciam in temporalibus sint quam plurimum destituti, iniungimus prioribus universis, ut a choro et a refectorio se notabiliter non absentent nisi ex causa rationabili et urgente. Et hoc idem faciant a suis subditis inviolabiliter observari. Quod si secus fecerint, per provinciales vel eorum vicarios in penam a suis officiis absolvantur. Item. Cum quasi ubique communitas pereat, propter quod de communi non potest fratribus in suis necessitatibus provideri, quod sine magna iactura ordinis esse non potest, districte iniungimus prioribus provincialibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi contra istam pestem adinveniant remedium opportunum et illud ad sequens generale capitulum deferant vel transmittant.

Item. Cum intellexerimus, quosdam fratres magis de custodia secularium quam ordinis confidentes pecuniam, libros, iocalia apud eosdem deponere sine suorum licencia prelatorum, volumus et ordinamus, quod omnes illi, qui infra mensem post noticiam presentis statuti de reducendo ad ordinem premissa non facient posse suum, premissis depositis penitus sint privati; que eorundem fratrum conventibus assignamus, et nichilominus cum de hoc convicti fuerint, tanquam proprietarii puniantur. Quam penam volumus similiter incurrere omnes, qui huiusmodi deposiciones facient in futurum.

Item. Cum apostasia culpam non minuat, sed augmentet, et pro quibusdam criminibus fratri committenti certa pena taxetur et aliquando circumscripta omni apostasia debeatur custodia carceralis, volumus et ordinamus, quod

¹ Cf. BO. II. pag. 141 n. XVI

si aliquis frater ante apostasiam aliquod tale crimen commiserit, de quo non satisfecerit, vel etiam in apostasie tempore, rediens etiam sponte ad ordinem carceri mancipetur.

Item. Cum aliqui fratres in confusionem ordinis et dampnationem animarum suarum correctionem de eis vel de aliis faciendam vel iam factam impedire et gravamina inferri aliis fratribus per potenciam extra ordinis obedienciam constitutam procurent, volumus et ordinamus, quod quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis aut diffinitores capituli generalis.

Item. Cum non sine confusione ordinis quidam debita notabilia contrahant, que nolunt solvere vel non possunt, volentes, ut per capcionem et vendicionem omnium bonorum suorum a suis prioribus ad solvendum predicta debita compellantur; non potentes autem et sine licencia prelatorum suorum debita contrahentes huiusmodi pene gravioris culpe volumus subiacere; si vero de licencia suorum prelatorum huiusmodi debita contraxerint, priores provinciales et eorum vicarii compellant dictos prelatos de suis appropriatis ad solvendum debita de eorumdem licencia sic contracta, et nichilominus a suis officiis absolvantur.

Item. Cum insufficiencia predicacionis officium et audiencie confessionum habencium venire faciat ordinem in contemptum et vergat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod constitucio de non exponendis insufficentibus ad officia memorata arctius observetur, et circa hoc provincialia capitula adinvenire studeant remedium speciale.

Item. De infamatoribus et relatoribus criminum ordinacio facta in capitulo Carcassonensi arctius observetur².

Item. Volumus et ordinamus, quod per totum ordinem fiat officium de corpore Christi feria · va · infra octavas trinitatis, sicut in constitucionibus Viennensis concilii est statutum. De officio vero magister ordinis studeat providere.

Item. Gracias concessas de assignacione ad studia per venerabilem patrem dominum Berengarium, archiepiscopum Compostellanum, dum ordini preerat, approbat et confirmat reverendus pater magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, nisi huiusmodi assignati ob eorum demerita per suos provinciales de discretorum consilio eisdem graciis merito sint privandi.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine ipsius magistri licencia speciali. Concedit tamen idem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania in profestis diebus per totum annum dicatur cum versiculis et oracionibus consuetis.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel infra · xvam · solempniter celebretur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores: Aurelianensem, Bisuntinum, Rotomagensem, Senonensem, Cenomanensem, Dignensem, Valentinesem, Tullensem, Beluacensem, Blesensem, Ebroicensem, Gracianopolitanum, Nivernensem; et ordinamus, quod isti fratres non assumantur in hiisdem conventibus ad eadem officia hoc anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro et domino domino Iohanne summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · iii · missas. Et volumus et ordinamus, quod quilibet conventus provideat de uno ebdomadario singulis septimanis, qui pro eodem celebrare diebus singulis teneatur etc.

Concedimus Romane provincie unum conventum ponendum in Terracina. Item. Provincie Lombardie inferioris unum conventum ponendum in Fabriano. Item. Provincie Ungarie unum conventum ponendum in Seghedino. Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Michaellem de Furno de provincia Francie³.

Item. Quantum nostra interest, providemus de fr. Benedicto Cumano⁴ de provincia Lombardie superioris, quod legat sentencias Parisius anno futuro, et ipsum pro hoc ex nunc assignamus eidem conventui.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Caturcum in provincia Tholosana et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam · viam · vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorum in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

² Cf. supra pag. 58 l. 20 sqq.

³ De fr. Michaelle cf. SSOP. I. pag. 596; DENIFLE l.c. pp. 173, 218.

⁴ De fr. Benedicto Cumano (de Assignano) cf. SSOP.

Vult magister ordinis de consilio diffinitorum et assensu, quod ordinatio, que cavet, quod ille, qui legit sententias anno precedenti, in sequenti sit magister studencium in studiis generalibus et solempnibus, inviolabiliter observetur.

Notum factum est omnibus, quod summus pontifex commisit singulis prioribus provincialibus ac eorum vicariis et singulis prioribus conventualibus vel eorum vicariis, quod in provinciis et conventibus suis fratres sibi subditos possint absolvere hac vice a sententia excommunicationis, si quam incurrerunt, extreme unctionis et eucharistie sacramenta ministrando, contra tenorem seu formam constitutionis novae domini Clementis pape capitulo de privilegiis et excessibus privilegiatorum religiosi⁵ et dispensare cum eis, si sic ligati immiscendo se divinis, aliquam irregularitatis notam contraxerint. Potestas autem huiusmodi per sex duet septimanas, postquam ad eorum noticiam pervenerit, et in suis provinciis et conventibus presentes extiterint.

Iste sunt penitencie.

Cum in conventu Claromontensi in die tractatus scrutatores potentes ad scribendum quartum admiserint sine causa, imponimus eis, quod ieiunent tribus diebus in pane et aqua, omnibus fratribus in talem deordinacionem eisdem consencientibus similem penam imponentes.

Item. Cum fratres de conventu Pontensi in die tractatus sui in aliquem unum socium non convenerint, cum hoc non possit esse sine eorum culpa, volumus et ordinamus, quod tribus diebus in pane et aqua ieiunent.

Item. Quia fratres Iohannes Albus prior de Verdino⁶ Pomenus et Blasius lector de Lucmoviz ac fr. Elias lector de Hust, omnes de provincia Bohemie, ad presens capitulum generale accesserunt sine licencia, intendentes quamdam falsam et scandalosam infamiam suo provinciali nequissime impositam prosequi coram nobis, et ipsam dictam infamiam, licet in hoc non equaliter delinquentes, in isto capitulo et alibi contra ordinis constitutionem suum infamando prelatum pluribus retulerunt in scandalum et confusionem ordinis inauditam, quamvis nulla veritate suffulti, sicut nobis per rei evidenciam extitit manifestum, predictos fratres Iohannem, Blasium, Pomenum in modum, qui sequitur, duximus publice puniendos. Nos enim ipsos a suis officiis prioratus, lectoratus et predicacionis generalis absolvimus in hiis scriptis et privamus omni voce nisi in sua accusatione et de sua expellimus provincia, hiis non sine dispensacione magistri ordinis in futurum restituendis. Ipsi vero de provinciis et conventibus per magistrum ordinis volumus provideri eosque subdi penis aliis afflictivis disciplinarum et ieiuniorum, prout magistro ordinis videbitur expedire.

Dictum vero fratrem Eliam, quia ad capitulum venit sine licencia, omni voce privamus, et quia in hiis favit dictis fratribus, absolvimus eum ab officio lectoratus.

Item. Cum quidam fratres nostri de Iberniam contra suos prelatos quasi per conspiracionem seu maliciosam concordiam insurgentes vicario a provinciali Anglie dato resistere presumpserint ut rebelles et alteri vicario iuxta suum libitum adherere, unde plura scandala ordinis et fratrum intolerabilia gravamina sunt secuta; nos volentes secundum tenorem constitutionum nostrarum rebelliones huiusmodi, que de novo contra priores provinciales in diversis provinciis invalescunt a nostro ordine per penarum remedia propulsare, dictos fratres et vicarium a vicario provinciali dato resistentes decernimus ob premissa publice puniendos. Unde fratrem Henricum Glam Ibernicum coram nobis comparentem et nostra auctoritate diligenter examinatum atque convictum esse huiusmodi rebellionis complicem seu magis constitutorem primarium et actorem a tota provincia Anglie expellimus, decernentes, quod in tota vita sua extremum locum sui ordinis teneat nec vocem in capitulo nisi in sua accusatione solum habeat, nec in istis per quemcumque alium quam magistrum dispensetur. Et idem magister ex nunc sibi provideat de provincia et conventu.

Insuper ordinamus et volumus, quod dictus provincialis Anglie in Iberniam celeriter se conferat ac vicarium unum vel plures destinans seu deputans vice sui ad inquirendum de premissis quotquot et prout in hiis inventi fuerint deliquisse, taliter puniant, quod maneat ceteris in exemplum et pax fratribus et conventibus Iberniam restituatur ad plenum, eorum nomina et excessus nichilominus magistro intimando.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXX.

⁵ “Clementis – religiosi” intelligas: Clem. V. cap. I. religiosi, tit. VII. De privilegiis et excessibus privilegiatorum.

⁶ Wertensis SSOP. I. pag. XIII.